celerrimis clausulis expressa, ita eas quadrato inseres. Cùm prima nota cantus semibreuis sit posita in b, quæres vltimam clauem b in fronte quadrati occurrentem, in primo spacio huius columnæ per lineolam determinabis semibreuem, cùm verò secundi tactus notæ sint partim semiminimæ, partim fusæ, pro semiminima in b in secundo tactus spacio lineolam determinabis semiminimæ respondentem, vel quod idem est $\frac{1}{4}$ spacij tactus partem ferè occupantem; cùm verò prima fusarum in g posita sit, quære columnam g, ibique in secundo spacio tactus in secunda linea lineolam fac $\frac{1}{8}$ partem spacij tactus vnius ferè æquantem, sequentem fusam in *a*, referes lineola in columna *a* secundi spatij tactus in medio secundi spatij ordinatam, & sic ordine secundùm notarum ascensum progredieris, donec omnes notas singulis locis in quadrato correspondẽtibus aptè inserueris; prodibitque quadratum phonotacticum præcedens, in quo quęcunque hucusque dicta sunt, præcisè exhibentur. Quare illud cum prędcedente cantilena sedulo vt conferas suadeo; Ex hoc enim vnico paradigmate nullo negotio alia omnia comprehendes.

Diuisum itaq; & pręparatum dicta ratione quadratum phonotacticum cylindro circumduces, vel etiam totum eidem agglutinabis. Hoc enim peracto, dentes ferreos cylindro infiges iuxta notas in quadrato per lineolas expressas. Semibreues notæ debent habere dentem limatum politumque tantæ longitudinis, quanta est lineola eum repræsentans. Verùm hic dentes ad meliorem rerum intelligentiam apponere voluimus. A refert semibreuem, b minimam, c semiminimam, d fusam, e semifusam, debent autem omnes eiusdem altitudinis extra cylindrum eminere perfectę ęqualitate.

a b c d

Consistit enim in hoc negotio totius harmoniæ perfectio. Cùm igitur iam in cylindro longitudines locaque singulorum dentium lineolis perfectè sint expressa, nihil aliud faciendũ est, nisi vt dẽtes prius prępparati & affabrè facti singulis suis locis ritè infigãtur. & habebimus cylindrũ omnibus numeris absolutum; Vides igitur quomodo promoto manubrio cylindri totius simul cylindrus moueatur, muteturque, palmularum ferreis linguis semper immotis manentibus.

Si quis verò ingenioſa præludia, quas *Toccatas*, siue *Ricercatas* vocant, in cylindrum phonotacticum transferre vellet; is cylindrum ampliorem conficiat, 100 videlicet temporum capacem apparet; cuiusmodi hic vnam apponendam duxi, à Gaspare Kerll, Sereniſſimi Archiducis Leopoldi, Mecęnatis noſtri munificentiſſimi, Organædo, Musico eximio compoſitam, in quà tanquam in idea quadam eluceſcit abſolutiſſimi huiusmodi ſtyli ratio, digniſſima proinde quam ingenioſus opifex tum in automatis artificioſè concinnandis, tum in Organis induſtria manu exhibeat.

Ricercata in Cylindrum phonotacticum transferenda.









Quo-